

moribus edocti illi, qui ad puppim Reip. sederent, patrias leges corrigere, correctas augere, auctas illustrare possent. Ut enim granum frugis causâ terræ committitur; ita nosmet etiam peregrinationi, tanquam agro illi, ex quo Reip. tot tantaq; fruges egerminant, committi fas est. Cautione autem hic opus, ne aliquando, ut Aestines, qui in Alexan. M. aula saltationes solummodo observavit, oscitantium more revertamur; qui quasi nudinas adeundo nihil sibi comparant, sed oculos solummodo pascunt ad spectu saxorum, lignorum, platearum, tectorum, muliercularum.

Paucis dabo: non cum nonnullis Angeli rustici proficiscamur in Italiam, urbani vero Diaboli reduces fiamus in patriam. (E) Sed si locorum diversorum naturale solum ac proprietatem consideraverimus, incolarū mores & ingenia observaverimus, Instituta, Leges, formasq; imperiorum ac civitatum notaverimus; principum aulas, amicos, disciplinas, munitiones, reditus exploraverimus; tum demum cum Ulysse $\tau\omicron\ \omega\omicron\lambda\upsilon\text{-}\tau\epsilon\gamma\pi\omicron\nu$, (F.) cum Jasone aureum Vellus (G.) in Patriam reportantes, Reip. mirum in modum commodaverimus, eamq; exornaverimus. Abeat itaq; & valeat infalsa illa & ad perniciem Reip. impulsâ cohors, quæ nobis hîc, in arenam ut descendamus, arsam præbet: cuius primarium deliramentum est, quod peregrinationē tanquam morum legumq; corruptricem accuset. In medium sistit Lacones & Cretenſes, (H.) qui tam ad se aditum omnem, quàm omnem à se portum peregrinari cupientibus occludere ac prohibere jusserunt.

Verum

E.
Vern. in Orat.

F.
Hom. id. a.

G.
Eurip. in Med.
& Nat. Com.
in mythol. l. 6.
cap. 8.

H.
Casus in Spha.
lib. 7. c. 6.